



Provincia Lvsitania. Nostrorum numerus, obitus, Ingressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

# PROVINCIA LVSITANIA.

Nostrorum numerus, obitus,  
Ingressus.



*L*usitanum Societatis agrum hoc anno coluerunt socij quingenti, & sexaginta. Olisipo in professorum domo quinque, & sexaginta, in Collegio vero decem minus habuit. Conimbrica in Collegio duos supra ducentos. Eboræ centum, & quadraginta. Bracara quinque, & triginta. Vnum & viginti Bragantia. Portus quatuordecim. Ad Insulas hi fuere. In Collegio Angrensi quindecim, in Funchalensi tresdecim, octo in Angolanam Coloniam transmiserunt. tredecim in Indiam, præclara omnes indole, & ad salutem eius gentis procurandam, & suo, & communi studio Societatis vehementer incensi.

Septem obiire virtute diuites, vt conijcere licet è stipendijs per multos annos emeritis. Olisipone P. Ioannes Frerius. Conimbricæ P. Antonius Consaluus. Eboræ P. Simon Martinus, ille annos duos de quadraginta, hi singuli duo de triginta in Societate vixerant. quibus

bus

bus neque virtute, neque annis inferior; coadiutor vnus qui in Funealensi Collegio post annos duos, & triginta in iuuāda Societate perfectos ad caeleste stipendium, vt speramus, emigravit. Cooptati in horum locum quatuor, & triginta; Septē Bracara, viginti quatuor dedit Conimbrica, quæ alios præterea centum in diuinum famulatum variorum ordinum familijs adiunxit; vt de eo insigni Collegio nihil non præclarissimum existimare debeamus, si ex hoc fiat coniectura de cæteris.

### Auxilia proximorum.

**V** Ideo me si astringere singula velim, quæ Lusitana Prouincia domi, forisque pro nostra vitæ ratione cum laude gessit, longiorē fortasse futurum, quam in alterius Prouincijs rebus enarrandis; & simul nescio, qua ratione liberiore animo institutū in ea prosequor explicandi res tantum quæ genere, aut nouitate sint illustres; eam fortassis ob causam, quod quemadmodum familiæ, quo sunt de nobilitatis antiquitate certiores, eo minus testimonijs, aut præconijs gaudent; ita eos mihi persuadeo minus de rerum vulgariū commemoratione laboraturos, qui magis abundant earum varietate, atque copia; hic enim Dei beneficio viget in primis studium perfectionis,

& spi-

Et spiritus nostri B.P. Ignati, cuius memoria in benedictione est, utque is augeatur, et excolatur vehementius, nunc etiam magis solito usurpantur eiusdem Patris meditationes a nostris, ut tatisper vitatis aliorum colloquijs, congressu, conspectu, huius celi luce liberius a Deo ad magnitudinem animi, ad humanarum rerum despicientiam, cognitionem caelestium erudiantur, et ab ijs in officina domestica melius ex cultis ad omne genus hominum vberiora, perfectioraque studia, atque officia salutis emanent. ex his nonnulla perstringam.

In Portu ereptus a morte innocens, cui tormentorum dolor dum falsam confessionem exprimebat, infamiam afferebat, et suspendium Episcopus vir illustris, sanctitate morum, doctrina, et historia quam de sua familia Franciscana perscripsit, decumbebat in lecto morti proximus, et ab ea se longissime abesse existimabat, cum natura quo magis erat vi morbi prostrata, eo imbecilliolem haberet sensum doloris, minusque periculum agnosceret, agnoscebant certe praeter medicos domestici omnes, et quibus tamen propter merorem, aut timiditatem, aut reverentiam illi significare nullus audebat. Fecit divina providentia, ut salutandi gratia Rector noster interveniret. re cognita, et incusata familia, Episcopum adit, atque fideliter de morte iam iam imminente, edocet. ille quamvis subita re nihil perterritus Deo, atque

atque Reſtori gratias agit, tēporis anguſtias ingenio, atque diligentia vincit, manit imprimis animam, ad alia plurima, quæ expedienda erant, domesticis vtitur. grauiſſima quæque Reſtori imponit, neque enim aliter tranſigi poterant, actum denique vita decedit, in quo fuit operæ pretium, tum vt ille dignam mortem obiret, tum, vt euitaretur offenſio longe maior, ſi rebus ſuis incompoſitis, nullis munitus ſacramentis propè ſubito obūſſet Epicoſtus tanti nominis, à cuius eximia virtute, atque ſcientia in eo negotio eximia quædam, atque illuſtria expectari poterant. Multi capitali odio diſſidentes ad cōcordiam reuocati. In his Eboræ duo per illuſtres, qui alioqui deſoẽſuri erant ad ſingularem dimicationem, atque vt licet conijcere, ſanguine alterius non extincta diſſenſio, ſed accenſa vehementius eſſet: iam enim vtriuſq; familiæ nobilitas, propinquitates, affinitates, potentia è regno ſerò toto non minimam nobilium manum accieuerat, atque rempublicam in duas partes diuiſerant: vt inſanabilius malum eſſet, quod pertineret ad plurimos. Sed ope diuina præter omnium ſpem repente conciliatis duobus principibus, & publicè in templo noſtro reuocatis ad gratiam, magna vniuerſe Ciuitatis probatione, atque admiratione ardor cæterarum omnium omnino reſedit. Curatum, vt ſponſalia diſſoluerentur irrita contra marem, atque legem:

gem: ijs que dissoluendis, vt pro lucro animorū  
 iactura aureorum sex millium negligeretur.  
 Factum, vt Bragantia mille aurei alieni red-  
 derentur. Olisipone maritus cum vxore stu-  
 dio pietatis ad sacram ædem sitam in ripa Ta-  
 gi vehebatur in cymba. quidam eodem fluuio  
 nauigantes non tam vectoribus, quam Deo im-  
 mortali hostes, eos primum contumelijs, &  
 verbis obscenis excipiunt, tum sine vlla causa  
 per barbaram quandam lasciuiam suo nauig-  
 io quam maximo remorum impetu concita-  
 to in scapham incurrunt, & in alterum latus  
 inuertit. mulier summersa fluuio est, vir ena-  
 tando in proximam ripam, ab aquis vitā eri-  
 puit, & odium eduxit eo implacabilius, quo  
 periculum presentius, contumelia grauior, &  
 minus debita fuerat. inexorabilis animo ob-  
 firmato in vindictam, vel ipsum veniæ nomen  
 execrabatur: eoque magis obduruerat, quo  
 spes erat cupiditatis explendæ vicinior: nam  
 re, vt par erat delata in iudicium proprius ni-  
 hil erat, quam vt homicidæ penderēt è laqueo.  
 eo fuit illustrior diuina benignitas, quæ nostro-  
 rum opera ita hominem flexit, atque emolliuit  
 ad amorem, vt sugeret mel de petra, oleumque  
 de saxo durissimo.

Prouisum saluti perditū cuiusdam aleato-  
 ris, cuius casum libet hic ad aliorum documen-  
 tum exponere. Inter ludendum perditæ dolore  
 pecuniæ se diris ille deuouerat. Furens domum

eludo

è ludo redibat. occurrunt formam hominum  
 induta larvæ, quos numerosos amiserat, resti-  
 tuunt, benignissimeque sibi denunciant, conat-  
 ur auocare in vallem quandam multis cadibus  
 & latrociniis infamem. Sed non persua-  
 dent. domum deducunt, & gurgustiolum in-  
 gresso ostendunt repente aulam augustissimam  
 circumquaque fulgentem aureis laquearibus,  
 sericis auleis, preciosa superlectili, qualis à  
 poeticis auctoribus fingi solet. illarum se di-  
 vitiarum profitentur auctores, affirmant, si il-  
 lis perpetuo beatus perfrui velit, vnam esse  
 viam laqueum, eo animam eripiat ex vitæ  
 mortalis ærumnis, homo presenti spectaculo,  
 argumentorum vi atque copia, penè extra se  
 positus, arripit lineum funiculum, quem com-  
 modissime aptatum porrigebant, ceruices præ-  
 ligat, reductoque à terra corpore obruisset om-  
 nino spiritum, ni strepitu excitata vicinia ir-  
 rupisset in domunculam, & fracto laqueo vin-  
 culis mortis miserum dissoluisset; non tamen à  
 consilio discedit: & quoniam per summam do-  
 mesticorum vigilantiam alia non patet via;  
 dum decumbit, iisdem vsus auctoribus collum  
 irretit longa recti, funiculi extrema ad imos  
 pedes alligat, atque ita ad pedum porrectio-  
 nē labili nodo se contrahente anima interclusis-  
 set, ni si re cognita familiares disturbassent in-  
 ceptum, suæque diffisi diligentie diuinos ac-  
 cersuissent Societatis medicos, qui sacris me-  
 dica-

ditamētis depulerunt Dæmonem, & miserum  
corporis, animique salutem restituerunt.

Scholæ datæ, atque acceptæ elee-  
mosynæ.

**N**auata opera ingenijs adolescentium.  
Eboræ mille sexcentis. Conimbrice bis  
mille. nauata corporibus egenorum. Funicali  
nostris fortunis compressa fames pauperum.  
in Portu inopiâ subleuata virginum religio-  
sarum, atque nobilium, ad quas fames extre-  
ma de cænobio relinquendo retulerat. Abba-  
tissa perditum prope Monasterij statum ad  
nostrum Rectorem eius freta caritate perscri-  
bit. ille in subita necessitate victum vniuer-  
sis è Collegio nostro suppeditat, agitq; interea  
cum principibus Ciuitatis ita pie, atque pru-  
denter, vt negocium illi enixè susceperint;  
elemosinam ipsi erogarint, à Senatu, Episco-  
po, nobilibus abunde collegerint tam cupidis  
vniuersis, vt duce nostro contionatore stipendi-  
per totam Urbem hostiatim emendicarint, at-  
que trecentos aureos collegerint, quibus re-  
creata Monasterij egestas, donec primates, &  
Rex ipse Philippus ijs præsidio firmiore con-  
suluit, tanta omnium probatione, vt religiosi  
eius ordinis, qui huic monasterio præerant no-  
bis venerint magna cum animi lætitia gratu-  
latum.

M Hinc



Hinc ut pergamus de aliorum cōmodis cogitare magis, quàm de nostris; Maria Alarcania fœmina in primis nobilis, & pia, post multos annos in templo nostro diuino cultui datos, migravit ad superos. facia potestate per P. Generalem corpus templo, tria millia aureorum pro Ecclesia Collegio Eborēsi reliquit. Ubique multa ad sacram suppellectilem accesserunt. In Collegio Bragantino crux argentea magni ponderis, atq; operis. In Bracarēsi theca ex argento sanctis Ursulae, & sociarum ossibus tegendis, ferculum asseruando Christi corpori, candelabra quatuor omnia auro tecta. In domo Olisiponensi simulacra tria ex argento à capite ad cingulum, quorū vno caput Beatissimi Gregorij Taumaturgi, alijs bina episcoporum capita religiosius asseruantur. Ad harum reliquiarum numerum è nostris quidam apposuit communi pietate colendum Sancti Basilij Magni digitum, quem Roma ad priuatam religionem secum deportauerat. Ioannes verò Borgia, qui domum hanc, atque adeo Urbem diuinam huiusmodi thesauris reddiderat, quasi ut coronidem poneret, suis erga nos beneficis immortalibus ad easdem reliquias adiunxit, bonam eius coronae partem, quæ sanctissimum Christi seruatoris caput circumcinxit, & pupugit.

Mis.

## Misiones.

**P**orrò nostrorum ardor neque parietibus domesticis, neque ambitu propriarum Urbium contentus in remotiores partes erupit a Collegio Bracarenſi in proximos pagos. Ab Augrenſi in vicinas Inſulas. Ab Oliſiponenſibus profectis in quadraginta ſuburbia. A ſcholasticis in vicina oppida. Ab Eboreſibus in circumſuſos agros, vicos, oppida. omnes toto animo incubuere in ſalutem proximorum, vt delerent vitioſas conſuetudines, bonas inducerent; vbiq; ſanata vulnera, quæ erant animis multorum impoſita, abdicata periu-ria; laſciue cantiones, aut ſublata, aut mutata melioribus, ſeiuncta à maribus feminae luxuriae participes, teſtamentorum violatores ad ſaniora conſilia reuocati, reſiſe plurimæ lites, occurſum conſilij occidende vxoris, & infamiae ferro vindicandæ. Conciliati filij parentibus, oppidani Curionibus, Sacerdotes ſacerdotibus, euulſa odia inueterata, multæ factæ reſtitutiones æris alieni, famæ; liberati innoxij è cuſtodijs, multi denique per ſummam Dei clementiam à flagitioſa vita, atque à vitijs abducti, habendis concionibus, explicando catechiſmo, monendo, hortando, verbis, ac præſipue exemplo.

Non parum profuere pia munuſcula, quæ

M 2 noſtri

nostri peregrinantes fidelibus elargiri solent.  
 Exornauit illa Deus suae potentiae signis, quo  
 gratiora essent accipientibus. In Eborēsi agro  
 nobilis quidam Senator diu vi morbi delira-  
 uerat: cum sanus esse crederetur à suis in cu-  
 biculo solus ad breue tempus relinquitur. sta-  
 tim ille thoracem induit, in quo duo ex albo  
 plumbo Beatae Virginis Matris sacra numis-  
 mata dudum incluserat, maius aliud collo, vt  
 solitus erat, appendit, & instigante Diabolo,  
 qui occasione adhuc imbecillae mentis uteba-  
 tur, se praecipitem è fenestra verso deorsum ca-  
 pite in viam durissimo lapide constrictam deiecit.  
 sed perinde atque decidisset in plumam, incom-  
 modi nihil accipit. Miratus ipse Dæmō se vin-  
 ci, & occasionem eripi è manibus erubescit.  
 ostendit se palam humana specie, hominem sue  
 mentis impotentem, qua hortando, qua trahē-  
 do, longa, atque difficillima via ad puteū per-  
 ducit in multam altitudinem excavatum. hic  
 ignarus, volente Deo, eorum, quae gestabat in  
 pectore, suadet primum, vt sacrum emblemata,  
 quod pendebat è collo, & cui incolumitatem  
 ex primo casu referebat acceptam, ad os putei  
 deponat, tum se in illud praecipit immittat, pa-  
 ret infelix, ad imum deprimitur, nec sanè hu-  
 milis erat aqua, statim emergit, ad voces  
 quas B. Virginis opem implorans profunde-  
 bat extremas, à vicinis occurritur, praesto fuit  
 in primis ipsa mater misericordiae. suo eum  
 con-

conspēctū regreavit, effecitque, vt quasi icun-  
cula pro cucurbitis essent, earum tenuis exta-  
ret ab aquis, & humor in mollissimam sellā  
illi cogeretur horas duas. post quas prædicās  
Deiparæ benignitatem, & vim sacrarum ima-  
ginum, extractus est incolumis, cupidissimus  
placendi Deo, liber ab insania, à pristina ægri-  
tudine, à præsentī periculo, quod fuit ita mul-  
tiplex, vt qui in fundum ad eum eripiendum  
descenderat, e frigore morbum plurimorum  
dierum contraxerit.

Omniū in Christo seruus

Io. Franciscus Carettonius.



Errata.